

sertim cum, quidquid dicitis, non ex amore verbi Dei dicatis, sed ex invidia, quæ est vitium diaboli, qua et vos stimulamini contra eum, forte pro eo, quod non estis inventus *similis illi conservanti legem Excelsi (Eccli. XLIV)*, sed certe ex nimia cordis arrogantia, ut vobis, non Deo, gloriam acquiratis. Dicimus proinde vobis : Gloria tua tecum sit in perditione. Vobis quippe perditis gloriam, quam Deo non acquiritis, *cui soli honor et gloria.*

Non parva tamen glorificatio vestra. Magnum est aliquid, magnos audacter provocare : et, magnum meretur nomen, non quidem doctoris, sed vituperatoris, qui bonis derogare non erubescit. Sed hoc dico, quia de aliorum fide jam non habetis judicare, qui vestram noluitis illibatam servare ; quia, non potest esse accusator, cui similis causa objicitur. Tacete proinde ; et aliis tacentibus, qui non

habent cauteriatam conscientiam, vos manu ori superponite, ne illud iterum in cœlum ponatis, et fiant novissima vestra pejora prioribus.

Adhuc enim timeo pro vobis.

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.*

(HORAT., epist. I, lib. II, v. 69).

Si fides vera mundat corda, non est fides vera ubi non est charitas sincera, mundi cordis incola. Nam charitas benigna, non invida, non nutrit odia, sed parit concordiam, quod totum vobis est contrarium. Videte ergo an fidem vestram perfecte correxeritis. Nisi correxeritis, quod adhuc indiget correctione, timete vel expertus illud justum iudicium Dei : *Qui fodit foveam, incidit in eam (Prov. XXVI)*. Hæc legite, et dicite : *Sicut feci, sic reddidit mihi Dominus (Jud. 1)*.

ANNO DOMINI MCLXXV

## FR. ARNO

PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS

### NOTITIA HISTORICA.

FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. I, pag. 137)

Arno decanus et prior abbatiæ Reicherspergensis in Bavar'ia, diem obiit Anno 1175. Ejus *Scutum canonicorum regularium* vulgatum a V. C. Raymundo Duellio libro primo *Miscellaneorum, Augustæ Vindel.* 1725, 4, pag. 3-35. Idem Arno cum fratre suo Gerhoho, cui anno 1169 in prælatura successit, scripsit opus prolixum *De eucharistia*, oppositum Folmaro præposito Trieffensteinensi, sive Petræ Stillantis in Franconia, infra Herbigolim. Prologus autem et fragmentum operis Folmaro oppositi editum a Stevartio in sylloge veterum scriptorum, pag. 243 (in nova editione *Antiquarum Lectionum Canisii Basnagiana*, t. III, parte II, p. 200), et in *Bibliotheca Patrum Lugdunensi*, tomo XXIII, pag. 240, non Beati nec Hetherii est, qui adversus Felicem et Elipandum multis ante Folmarum sæculis scripserunt, sed Adami, decani Reicherspergensis, qui vastum suum adversus Folmarum volumen dicavit P. decano Herbigolensi, meminisse epistolæ Folmari ad Tavanensem archiepiscopum [lege *Juvavensem*, et Salisburgensem intellige, sed aliam quam quæ exstat ad illum Folmari epistolam] in qua injurias Gerhoho, præposito Reicherspergensis, irrogaverit. Denique Stevartius notavit in Boicis bibliothecis præter illud Adami opus extare etiam Gerhohi librum *De investigatione Antichristi*, in quo Folmarum refellendum sibi sumpsit, perinde ut in libro *De gloria et honore Filii hominis*, ad Hermannum episcopum Brixinensem, qui vulgatus est a Bernardo Pez tomo I *Anecdotorum*, parte II, pag. 165, Augustæ Vindelicorum 1721, fol.

## FR. ARNONIS

### SCUTUM CANONICORUM

(Raymundi Duelli *Miscellanea*, lib. Sent. I, Aug. Vindel. et Græc. 1725, p. 5.)

### OBSERVATIO PRÆVIA.

*Fr. Arnonis Scutum Canonicorum*, scil. Regularium. Undecimum a Christo nato sæculum orbis numeraverat, quum universalis ordinis nostri *καθ' ἡγεμονίαν* agi cœpit. Ea enim tempestate in Italia S. Abbas Romualdus plures canonicos et clericos, qui laicorum more sæculariter habitabant, præpositis obedire, et